

lam, vel aliquem hujus Bullae articulum directe vel indirecte impugnare, vel eis contradicere audeat.

Huc pertinent excommunicationes latae a Bonifacio IX., Eugenio IV., et Paulo IV. in favorem Ordinis RR. PP. Praedicatorum et Franciscanorum, de quibus vide Bonac. t. 3. de cens. d. 2. q. 3. p. 44., Salonium, Filliac. Gambarupta et alios.

813. V. De procurantibus abortum jam dictum est P. I. n. 670. et plura dicentur infra de casibus in variis dioecesis reservatis.

814. VI. Pugnantes in duello, vi Bullae Greg. XIV. Detestabilis duelorum usus, et aliarum Bullarum, quas citavimus P. I. n. 660. et infra n. 1430.

815. VII. Extrahentes eos, qui asyli causa fugiunt ad Ecclesiam, vi Bullae Greg. XIV. Cum alias nonnulli: exceptis iis, qui asylo non gaudent, quales sunt publici latrones, alii que, quos ab asylo exclusit Bened. XIII. in Constit. Ex quo divini, edita anno 1725.

816. VIII. Docentes, defendantes, aut in proxim deducentes, licere per litteras vel internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem ita absolutionem obtinere, vi Bullae Clementis VIII., de qua supra egimus.

817. IX. Docentes, edentes, defendantes, privatim vel publice disputantes, nisi impugnando, propositiones ab Alex. VII., Innoc. XI., et Alex. VIII. damnatas, quas I. Pars nostrae Theologiae statim in fronte offert. Item defendantes etc. propositiones 68. Michaelis de Molinos, quas vide apud La Croix ab initio Tomuli I.

818. X. Huc pertinet Constit. Bened. XIV. edita 31. Junii anno 1741. quae incipit: Quanta cura, de stipendio Missae, quam citatam n. 433. retulimus.

819. XI. Ab eodem. Bened. XIV. in Const. quae incipit: Sacramentum poenitentiae, edita anno 1741. 1. Junii, ubi in §. 3., Sedi Apostolicae reservatur absolutio ab eo casu, quo quis vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commotus, vel aliorum impiis suasionibus aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitatus innoxium Sacerdotem apud Ecclesiasticos Judices falso solicitationis insimulat vel per se, vel scelesto procurando, ut ab aliis id fiat: ita ut ejusmodi falsus delator a nullo Sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, excepto mortis articulo, possit absolviri.

820. XII. Ibid. in §. 4. sequens reservatio habetur: *Omnibus et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus cuiuscumque ordinis ac dignitatis, tametsi aliquoquin ad confessiones excipiendas approbat, et quovis privilegio ac indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digna suffultis, auctoritate Apostolica, et nostrae potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque in honesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam: adeo quidem, ut absolutio, siquam imperierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit; quam ei per praesentes has nostras admire intendimus. Et nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.* Ibidem §. 5. Declaran-

tes etiam et decernentes quod nec etiam in vim cuiuscumque Jubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur cruciatae sanctae, aut alterius cuiuslibet indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, ei que sacramentalem absolutionem elargiri. Ideo ad effectum hujus constitutionis idem Bened. XIV. in Bulla Jubilaei nuperimi: *Benedictus Deus, expresse provocavit ad hanc suam constitutionem in §. Non intendimus. Ideo hodie non potest praetendi ignorantia factae prohibitionis, vi cuius nullus complex Sacerdos, quocumque etiam gaudeat privilegio, potest valide absolvere suam complicem.*

Denique hoc etiam pertinet excommunicatione lata a Pio V. in Bulla Romanus Pontifex, in Superioris non denunciantes suos religiosos, qui sunt suspecti de haeresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. Item Pii V. in Bulla, *Decoris*, in Moniales exentes de clausura absque licentia. Plura vide apud Leonard. de sacr. poenit. q. 14.

821. Q. VII. Quaenam sint peccata Episcopis reservata? R. Non sunt eadem in singulis dioecesibus, sed alia in aliis, quorum notitiam Confessorius haurire debet vel ex statutis Episcopalibus, vel ex Rituali dioeceseos, ubi intendit excipere confessiones. In communione Confessariorum casus hic et in viciniis dioecesibus reservatos subnectere placuit. Plures reperiuntur licet apud P. Leonardi et La Croix L. 6. p. 2. a. n. 1636.

822. I. In Dioecesi Argentinensi casus Episcopo reservati sunt 1. Blasphemia publica in Deum, B. Virginem Mariam, aliosve Sanctos cum attentione, et ex impietatis animo prolata:

Notandum hic additur: 1. Peccatum blasphemiae committi posse tam scripto, quam voce. 2. Hac in reservatione non comprehendendi jura menta seu Sacra menta per Deum, Dei vitam, mortem et similia, quae ex consuetudine pessima certe et abolenda, inter loquendum saepissime proferuntur, nisi qui ea profert, intentionem expressam habeat Deo maledicendi et renunciandi, quod dijudicandum Confessorius relinquimus: eos autem adhortamus, ut omni studio in id incumbant, quo a nefandis illis loquendi modis Christiani deterreantur. 2. Profanatio, aut impius usus specierum Ss. Eucharistiae, vel etiam chrismatis, aut alterius olei sancti, catechumenorum scilicet, et infirmorum. 3. Divinatio, sortilegium, incantatio, atque omne magicum exercitium. 4. Violenta et atrox percussio in Ecclesia, aut in alio loco sacro vel benedicto. Item furtum rei sacrae, atque etiam non sacrae depositae in loco sacro vel benedicto. Item forniciatio, adulterium, et alia graviora crimina contra sextum praeceptum in Ecclesia, aliove loco sacro, aut benedicto commissa. 5. Simonia et confidentia occulta, tam quoad committentes, quam quoad mediatores. 6. Sacrilegium cum moniali: item sacrilegium Parochi aut Vicarii cum sua parochiana, et Confessarii cum poenitente, et vice versa. 7. Raptus virginum, vel mulierum honeste viventium: quo casu non raptor solus, sed et qui auxilium et consilium praebent, comprehenduntur. 8. Incestus in primo ac secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis: item stuprum violentum et lenocinium. 9. Detestabilia bestialitatis aut sodomiae crimina. 10. Homicidium voluntarium. 11. Duellum, quo nomine intelliguntur omnes certantes in duello, qui ad illud provocant scienter, aut cooperantur. 12. In vitam conjugis insidiosa machinatio, licet mors non sequatur. 13. Procuratio abortus; sive foetus sit animatus, sive non, opere, consilio, vel auxilio, etiamsi abortus non sequatur. Item sumptio remediorum eo fine, ut procuretur sterilitas. 14. Oppresio parvolorum ex proposito, vel ex gravi negligentia. 15. Percussio patris vel matris, vel aliorum ascendentium. 16. Perjurium factum in judicio sive ecclesiastico,

sive laico. 17. Peccatum falsiorum tam monetae, quam litterarum publicarum ecclesiasticarum: falsificatio autem Bullarum seu litterarum Apostolicarum, cum notorie denunciata est, reservatur summo Pontifici. *Ita ex monitis ad Confessarios Dioec. Argent. annexis approbationi ibid. impressae, quae datur Confessariis predictae Dioec.* Ibidem adduntur censure reservatae Episcopo Argentin. et generalia quaedam observanda circa absolutionem a reservatis.

823. II. *In Bambergensi.* 1. Enormis offesa parentum. 2. Notorius concubinatus. 3. Percusso clerici. 4. Ingressus in monasteria monialium. *Offensa parentum postea ab ordinario restricta est per Decretum: Auxiliante Domino, ad solam realem parentibus veris sive naturalibus tantum, sive legitimis simul, non vitricis aut novercis illatam.*

824. III. *In Basileensi, casus respectu omnium poenitentium reservati, sive occulti, sive manifesti, sunt 1. Homicidium voluntarium. 2. Haeresis et Apostasia. 3. Peccatum quodlibet habens annexam excommunicationem maiorem, vel aliam censuram aut irregularitatem; quo spectat percusso clerici.*

Ibidem alii de jure antiquo, vel consuetudine reservati sunt adhuc sequentes, si sint manifesti. 1. Incendium. 2. Sacrilegium grave in locum sacrum, vel res sacras, ut violatio templi, aut immunitatis ecclesiasticae. 3. Blasphemia. 4. Perjurium. 5. Sortilegium, maleficium, incantatio. 6. Violatio voti speciatim castitatis per fornicationem, vel adulterium, vel contractum matrimonium. 7. Peccatum contra naturam, ut sodomia, bestialis cum bruto vel daemone. 8. Incestus cum consanguineis, praesertim personis Religiosis. 9. Stuprum. 10. Adulterium, seu utraque persona, seu alterutra sit conjugata. 11. Procuratio sterilitatis aut abortus. 12. Procuratio toxicum vel veneni, etiam homicidio nondum secuto. 13. Percusso parentum. 14. Oppressio infantum in lecto. 15. Neglectus parentum circa liberos. 16. Falsificatio litterarum Episcopali vel Curiae Episcopalis.

Ibidem casus speciales Ecclesiasticorum reservati sunt 1. Celebrare missam coram excommunicato, vel in Ecclesia interdicta, vel in altari non consecrato, vel sine indumentis sacris scienter et sponte. 2. Promotum esse ad sacros ordines per saltum, vel ante requisitam pro quovis ordine aetatem, vel ab alieno Episcopo, vel extra tempora. 3. Sepelire excommunicatum vel interdictum in loco sacro. 4. Violare seu frangere sigillum confessionis sacramentalis. 5. Fornicari cum filia confessionis vel baptismi. 6. Notabilis neglectus circa Sacraenta, praesertim Ss. Eucharistiae cum irreverentia mortali.

825. IV. *In Fulensi.* 1. Homicidium voluntarium etiam occultum. 2. Oppressio prolis cum negligentia parentum. 3. Procuratio abortus, aut sterilitatis. 4. Injectio manuum in parentes. 5. Perjurium et falsum testimonium in judiciis cum damno tertii. 6. Incantatio et maleficium. 7. Incestus intra primum et secundum gradum consanguinitatis inclusive. 8. Copulatio vagabundorum sine licentia ab Ordinario obtenta. 9. Abominatio cum bestiis.

826. V. *In Metensi.* 1. Haeretici, schismatici, fautores haereticorum, qui ipsorum concionibus aut caeremoniis probandi aut favendi causa interfuerunt. 2. Si quis sacrilegium commiserit, h. e. furtum rei sacrae in quovis loco, vel furtum rei profanae in loco sacro. 3. Si quis incantationem, sortilegium, magiam, divinationem exercuerit, hisque utentes consuluerit, sacris sive benedictis rebus abusus ad haec impie fuerit, maleficium maleficio solverit. 4. Simonia, sive confidentia etiam occulta, tam quoad committentes, quam ejus mediatores; si publicae sint, summo Pontifici reservantur. 5. Enormis et publica in Deum, Virginem Deiparam, vel in Sanctos

blasphemia. 6. Homicidium voluntarium etiam ab ebrio vel irato perpetratum. 7. Duellum, h. e. si quis in duello pugnaverit, aut pugnantis patronus fuerit, qui ad illud inde secutum provocaverit, voluntarie quasi comes fuerit. 8. Percusso clerici, patris vel matris, avi vel aviae. 9. Si quis sterilitatem vel abortum procuraverit, etiam ante foetum animatum, aut, ut contingeret, quovis modo consilium, consensumque petierit: *Homicidii enim festinatio, inquit Tertull. Apolog. c. 9., est prohibere nasci; nec refert, natum quis eripiat, aut nascentem disturbet.* 10. Si quis prolem oppresserit, sive suffocaverit, aut perire permiserit. 11. Si quis adulterium commiserit, quod judicio probatum fuerit, aut nulla tergiversatione in tota vicinia celari possit. 12. Si quis cum uxore, aut etiam rejecta uxore publicam concubinam fovet. 13. Si quis incestum intra secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum commiserit. 14. Si quis sodomiticum peccatum vel bestialitatem commiserit. 15. Concubitus Confessarii cum poenitente, et poenitentis cum Confessario. *Sacerdoti, quocum illud crimen, aut aliud quodlibet tactu aliquo impudico admissum est, admittitur omnimoda facultas audiendi unquam confessionem illius, quocum, vel cum qua crimen admisit, etiam tempore Jubilaei.* 16. Fornicatio, et ea, quae sunt graviora carnis peccata, a Clericis, qui sunt sacris ordinibus initiati, nec non a personis quibuslibet solemnii Religionis voto adstrictis, et cum ipsis commissa. 17. Raptus aut violatio virginum aut mulierum honeste viventium. 18. Matrimonium clandestinum, illud scil. quod contrahitur absque benedictione sacerdotali, testibus et aliis solemnitatibus requisitis. 19. Usura publica, quae vel in judicio publico probata, aut in confesso est apud reum coram judge, aut nulla tergiversatione in tota vicinia celari potest. 20. Peccatum ebrietatis commissum a Clericis, qui sunt sacro Ordine initiati, vel in beneficio ecclesiastico constituti, neconon a Religiosis etiam conversis. 21. Frequentatio cauponae. *Frequentatio dicitur, dum viri plebeji bis aut ter in mense cauponam sine necessitate adeunt praesertim diebus dominicis et festis; et talis esse debet, ut peccatum mortale committatur, v. g. dum quis bibit aut manducat plus, quam decet, aut ea insumit, quae ad familiae sustentationem sunt necessaria, aut turpia loquitur, cantat, agit, aut commoratur in popina cum scandalo, aut si est occasio iurgii inter virum et mulierem, aut parentes, aut est causa aut occasio aliqua, cur alii in hac peccata incidant, etiamsi ea ipse devitet, aut est in popina, dum celebratur officium divinum.* 22. Falsum testimonium sacramento roboratum coram judge legitimo.

827. VI. *In (olim Archi-)Dioec. Moguntina.* 1. Homicidium voluntarium. 2. Stuprum violentum. 3. Crimen incendiariorum. Adempta est quoque Confessariis potestas absolvendi complicem in peccato luxuriae.

828. *In Spirensi.* 1. Homicidium voluntarium. 2. Stuprum violentum. 3. Fornicatio Clerici in majoribus constituti. 4. Crimen incendiariorum. 5. Excisio notabilis segetis, arborum frugiferarum, vitium et vinearum ex odio tertii vel communitatis. 6. Depulsio foetus ex utero, sive animati, sive inanimati. 7. Realis offesa parentum, quae fit per violentam manus injectionem, tunsonem vel verberationem.

VIII. *In (olim Archi-)Dioec. Trevirensi.* 1. Enormis blasphemia in Deum, vel Sanctos in loco publico. 2. Abusus sacrae hostiae, chrismatis, olei sacri, vel cuiusvis rei sacrae ad sortilegium, divinationem, incantationem, alias usus magicos. 3. Perjurium Clericorum attactis sanctis Evangelii in judicio. 4. Crimen incendiarii, excisio notabilis segetis, arborum fructiferarum, vitium, vinearum ex odio tertii, vel communitatis. 5. Crimen falsiorum tam monetae, quam litterarum seu instrumentorum pub-

licorum. 6. Sodomia, bestialitas, congressus carnalis cum daemone. 7. Com-mixtio Sacerdotis cum filia spirituali. 8. Homicidium voluntarium, quam-vis occultum, et exhortatio, ex qua commissum est homicidium. 9. Depulsio foetus sive animati, sive inanimati. 10. Percussio enormis parentum. 11. Matrimonium, a sciente conjugem suam vel alterius contrahentis adhuc vivere, contractum.

829. IX. In Wirceburgensi. 1. Injectio manuum violenta in parentes. 2. Homicidium voluntarium, et mandatum ad illud, nec non abortus foetus animati studiose procuratus effectu subsecuto. 3. Stuprum violentum. 4. Crimen incendiariorum. 5. Adimitur jurisdiccionis Confessario complice (quam-vis alias potestatem habeat absolvendi a reservatis), ut complicem criminis carnalis opere consummati absolvere nequeat, excepto periculo mortis, et quando tunc aliis Confessarius haberi non potest.

830. X. In Dioec. olim Wormatiensi. 1. Enormis blasphemia in Deum vel Sanctos in loco publico cum intentione et advertentia proleta. 2. Crimen incendiarii, etiam nondum publice denuntiati, excisio notabilis segetum, arborum frugiferarum et vinearum ex odio tertii vel communitatis. 3. Cri-men falsariorum tam monetae, quam litterarum vel instructionum publicarum, uti et testimonium falsum, vel scriptura falsa in judicio cum detimento tertii. 4. Sollicitatio in loco confessionis a Sacerdote facta, sive ante, sive post confessionem. 5. Procuratio deliberata abortus et sterilitatis. 6. In parentes proprios violenta manuum injectio. 7. Revelatio sigilli sacramentalis directe vel indirecte a Sacerdote facta. 8. Machinatio in mortem conjugis, si mors sequatur.

Excommunicationes reservatae in Gallia summo Pontifici memoriae levandae gratia hisce carminibus comprehenduntur:

*Ictus atrox cleri, fur frangens ostia templi,
Falsificeans Bullas, et Simon, et istor apertus.*

Excommunicationes reservatas Episcopis in Gallia:

*Percutere graviter clerum, consorsque duelli,
Clam Simon, clam urens, clam frangens ostia templi
Haereticus, claustrum violator, et auctor abortus.*

Vide versus ante n. 1432.

831. Q. VIII. Quid requiratur ad hoc, ut peccatum censeatur esse reservatum? R. Ordinarie non censemur reservatum nisi 1. sit mortale. 2. externum. 3. in suo genere consummatum. 4. certum.

832. Duxi 1. Nisi sit mortale: quia ad confessionem venialis peccati nemo obligatur; ergo veniale frustra reservaret Superior suo iudicio. Confirm. Juxta Trid. sess. 14. c. 7. potestas reservandi data est in aedificationem, non in destructionem: ergo respicit causam aliquam necessitatis ac utilitatis disciplinae populi Christiani: atqui (subsumit P. Sporer) necessitas et utilitas populi solum exigit reservari peccata graviora, maxime quae sunt perniciosa communitati fidelium: ergo. Hinc. Trid. ibid. expresse ait: *Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.* Ideoque quamvis concedatur, quod detur in Ecclesia potestas reservandi quedam venialis, ordinarie tamen ea non solent reservari. Bonac. de poenit. d. 5. q. 6. punct. 5., Laym. L. 5. t. 6. c. 12., Herinck.

833. Duxi 2. Nisi sit externum: licet enim detur, quod peccata mere

interna absolute possint reservari; eorum tamen reservatio fieri non solet, tum quia illa ad Ecclesiae gubernationem parum vel nihil conduceret, nec expediret, tum quia hoc ipso, quod peccata mere interna facilius committantur, et difficilius cognoscantur, Sacramentum per reservationem redderetur valde odiosum. Laym. l. c. n. 3. Confirm. ex Can. Cogitationis. de poenit. Dist. 1. *Cogitationis poenit nemo patitur*, scil. ab homine, bene tamen a Deo, ut ibid. explicat glossa. Porro hic

834. Observandum I. distinguendum esse inter peccatum mere internum, quod solis potentias internis, intellectu scil. et voluntate perficitur; 2. inter occultum, quod quidem nemine alio conscientia committitur, concurrente tamen opere externo, v. g. verbo, facto, vel signo, ut si solus occidas Titum, nemine id audiente vel videente; 3. denique inter publicum. Quid sit publicum sive notorium *jure et facto*, dictum est P. I. n. 967. Fama publicum est, quando rumor ex delicto ortus pervenit ad partem maiorem communitatis, etsi illud ab initio patratum sit coram uno, aut altero tantum. Ex his

835. Observandum II. quod non sola peccata publica, sed etiam occulta tunc censeantur reservata, quando aliquod peccatum reservatur simpliciter et sine addito, quod reservetur publicum. De casibus Papalibus reservatis id certum est ex prop. 3. et 4. ab Alex. VII. damnatis; ex qua damnatione constat, haeresim occultam vere esse reservatam. Eadem regula admittenda videtur de casibus Episcopaliis, ut ex praxi certum asserit La Croix L. 6. p. 7. n. 1627.; constat enim Episcopos saepe reservare occulta, v. g. homicidia voluntaria occulta etc.

836. Duxi 3. Nisi sit in suo genere consummatum: si enim lex reservans verbis generalioribus sine expressa restrictione utatur, verba legis accipienda sunt cum effectu. c. Relatum. 4. de Cleric. non resid., et L. hoc edictum 1. §. autem. ff. quod quisque Juris. Confirm. Reservatio est odiosa; restringit enim Episcopis, Parochis, aliisque potestatem, quae ipsis alias de jure communi competet; ergo verba in rigore accipienda sunt juxta c. Odia. de R. J. in 6., ideoque reservatio restringenda est ad solos actus perfectos, et non extendenda est ad imperfectos. Hinc si homicidium sit casus Episcopo reservatus, ille non incidit in casum reservatum, qui sola mente statuit occidere alium, quia nullus est actus exterior, nec simpliciter homicidium. Imo nec ille, qui hanc voluntatem graviter peccaminosam signo externo prodit, aut facto, v. g. vulnerando alium, modo mors inde non sequatur, quia haec reservatio generaliter lata non intelligitur tantum de actu exteriori, sed de illo, quem effectus sequitur, scil. verum ac proprium homicidium. Item si adulterium vel incestus sit casus reservatus, is hunc non censemur incurrire, qui solum exercet actiones turpes cum uxore aliena vel consanguinea, nisi exerceat copulam carnalem cum ea perfectione, ut generatio prolixi ex copula sequi valeat. NB. Hic caute attendendum est ad verba reservationis; non enim requiritur semper, ut peccatum sit consummatum quoad omnem rationem, sed sufficit quod sit completum sub ea ratione, sub qua in reservationis decreto exprimitur; v. g. si ibi reservetur ab Episcopo *procuratio abortus etiam effectu non subsecuto*, ille incidit in casum hunc reservatum, qui media ad procurandum abortum adhibet, etsi abortus non sequatur, quia licet haec attentatio abortus non sit completa in ratione abortus, est tamen completa in ratione abortus attentati.

837. Duxi 4. Nisi sit certum; peccatum enim dubium non est peccatum simpliciter, sed cum addito dubium: ergo sub nomine peccati stricte dicti, quale censemur tantum reservari, dubium venire non debet. Confirm. Reser-

vatio ex dictis est odiosa tam poenitentibus, quam Confessariis; ergo restringenda est et intelligenda de peccatis certis et claris. *Neque dicas Clemens VIII.* anno 1601. 9. Jan. prohibuit absolutionem a casibus non solum clare, sed etiam *dubie* contentis in Bulla Coenae; ergo etiam peccata dubia sunt reservata. Respondent *Pellizzarius* tom. 1. t. 6. c. 1. n. 16., *Gobat* hic n. 357., et *Viva* ad 3. propos. *Alex. VII.*, eundem Pontificem anno 1602. 9. Nov. omissoe in alio Decreto eadem de re illa duo adverbia, *clare* et *dubie*, ideoque quoad haec revocasse prius Decretum.

Regulae pro interpretatione casuum Episcopis reservatorum hisce carminibus complectuntur:

*Compleatum, externum, certum, mortale, favores
Auge, odium stringe, a potiori ratio nulla est,
Mas annos habeat bis septem, foemina bis sex,
Solve mandantes, quando non jura reservant.*

838. Q. IX. Quarum personarum peccata sint reservata, et 1. quidem, an impuberis, h. e. masculi ante decimumquartum, foemelle vero ante duodecimum aetatis annum completum, perfectum rationis usum adepti incurvant reservationem? R. 1. Probabiliter multi contra multos defendunt, quod impuberis non incurvant casus reservatos Papales, qui annexam habent excommunicationem; ad hanc enim censuram incurrendam requiritur contumacia, ac proinde major aetas et prudentia, quam ordinarie possit praesumi de impuberibus. *Confirm.* ex c. 1. de sent. excomm., ubi *Alex. III.* de impuberibus Clericum percutientibus respondet, quod ad Sedem Apostolicam mittendi non sint, quia eos aetas excusat.

R. 2. Probabilius impuberis incurvant reservationem Episcopalem, ex supposito quod aliter mens reservantium Episcoporum non sit declarata, ut expresse declarat Episcopus Argentinensis, quod nulla sit reservatio pro impuberibus. *Ratio* est, quia reservatio non est censura, nec pure poena, sed magis medicina, qua aeque indigent impuberis. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1691. cum *Lugone* et *Aversa* contra *Palud.*, *Graffium*, et alios.

839. Q. X. An ignorantes, peccato suo annexam esse reservationem, nihilominus illam incurvant? R. Si reservatio sit mere poenalis, eam probabiliter non incurvant, secus si reservatio sit medicinalis tantum, vel potius medicinalis, quam poenalis. *Ratio primi* est, quia qui poenam legis, contra quam agit, saltem invincibiliter ignorat, poenam non incurrit: ergo nec reservationem poenalem. *Confirm.* Poena videtur imponi contemptibus legis, aut contumacibus, quales non sunt ignorantes legem, vel poenam annexam. Ita *Sanch.* de matrim. L. 9. d. 32. *Palao*, *Wiestner*, *Schmalzgrub.*, et alii, quorum tamen sententia procedit ex supposito, quod detur reservatio pure poenalis. Hinc *Babenst.* L. 8. p. 6. d. 6. a. 4. n. 24. ait: *Si sermo sit de casibus reservatis, qui habent annexam censuram, quales sunt plerique casus summo Pontifici reservati, res omnino videtur certa, scil. quod ignorantes invincibiliter reservationem non incurvant.*

Ratio secundi est, quia reservatio medicinalis importat meram et absolutam ablationem jurisdictionis propter bonum commune; sine qua poenitentis absolutio nulla est, sive scienter sive ignoranter deliquerit. Hanc sententiam *La Croix* l. c. n. 1608. dicit cum *Aversa* communissimam, et absolute tenendam tamquam claram et in praxi notam contra *Dian.*, *Burgh.* et alios. Ex his resolves, quod casus reservati Episcopales de facto incurvant ab ignorantibus, cum reservationes Episcoporum sint potius medicinales, et fiant non tam ad vindictam commissorum, quam ad cautelam committendorum peccatorum.

840. Q. XI. An peregrinus habens casum reservatum in sua dioecesi,

et confitens in alia dioecesi, ubi ejus peccatum non est reservatum, ibi possit absolviri a quovis Confessario approbat? R. *Affirmative, dummodo non in fraudem reservationis e sua dioecesi exiverit.* Ita constat ex Constit. Clem. X. ab anno 1670. quae incipit: *Superna magni patris familias, ubi declarat §. 7., posse Regularem Confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvire, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Rationem dat *Laym.* L. 5. t. 6. c. 10. n. 10., quia peregrinus judicatur et absolvitur secundum consuetudines ejus dioecesis, in qua iudicio sacramentali se submittit, *cum tacito consensu Episcopi proprii.* Consentit *Suar.* de poenit. d. 30. sect. 1.

Confirm. 1. ex eo, quod iuxta sententiam contrarium Confessarii tenebrentur scire omnes casus in aliis dioecesibus reservatos, quod onus Confessarios nimium aggravaret. *Confirm.* 2. Reservatio immediate afficit Confessarium, utpote cuius facultatem restringit: ergo cum Confessarius extraneus subditus non sit Episcopo peccatum hujus peregrini reservanti, etiam ejus iurisdictio ab hoc Episcopo restringi nequit.

841. Q. XII. An peregrinus possit a quolibet approbato Confessario absolviri, si confiteatur peccatum tantum reservatum in dioecesi Confessarii, non vero in sua, unde venit? R. Non potest absolviri a quolibet approbato, sed a simul habente potestatem absolvendi a reservatis. *Ratio Suarez* l. c. cum *Cajet.* est, quia licet talis poenitens alias non sit subditus hujus dioecesis, ubi confitetur, nunc tamen judicatur ut subditus, dum ibi confitetur: ergo debet judicari secundum jurisdictionem ibi concessam, maxime in foro sacramentali; ergo cum eo tempore in hac dioecesi Confessarius habeat jurisdictionem ligatam respectu hujus reservati peccati, et poenitens in ordine ad hunc actum fiat ejus subditus, non potest absolvire talem peregrinum. *Confirm.* ex Constitut. *Clementis X.* mox cit. ubi statuit, quod Confessarius possit absolvire confluentes ex aliena dioecesi a reservatis alibi, non autem a reservatis *in illa, ubi idem Confessor est approbatus:* ergo. Juxta alios ratio praecise petitur ex eo, quod reservatio immediate tangat Confessarium, cui tollitur iurisdictio in haec vel illa peccata: ergo a quocumque afferatur peccatum reservatum, ab illo Confessarius non habens potestatem, etiam non potest absolvire. Ita plurimi apud *Leonard.* in parte 2. decis. pract. casu 36. contra *Fagund.* *Stoz.* *Neque dicas* cum *P. Engel* in manuali *Paroch.* p. 3. c. 2. §. 2.: Talis peregrinus nec remittendus est ad suum Episcopum, utpote a quo hoc peccatum non est reservatum: neque ad Episcopum loci, ubi confitetur, cum non sit illius subditus: ergo. R. Vel potest remitti ad quemlibet Confessarium propriae dioeceseos, ubi facile absolvetur, cum non habeat casum ibi reservatum; vel potest in aliena dioecesi, ubi commoratur, remitti ad alium Confessarium, qui habet facultatem absolvendi a reservatis; vel saltem a Confessario petenda esset licentia ab Ordinario, pro hoc casu absolvendi a reservato.

842. Q. XIII. Quis possit absolvire a peccatis reservatis? R. 1. Extra mortis articulum, in quo quisvis Sacerdos absolvire potest iuxta dicta n. 685. *ordinaria potestas* competit: 1. Ipsi reservanti. 2. Ejus in officio successori. 3. Utriusque Superiori in jurisdictione spirituali. *Ratio* est, quia reservandi potestas ordinaria his competit: ergo et potestas ordinaria absolvendi; deinde reservans nec suam nec Superiorum suorum, sed inferiorum potestatem reservando ligat: ergo. Ex his inferes, quod summus Pontifex possit absolvire ab omnibus casibus Papalibus et Episcopalibus, Episcopus vero a reservatis a se et suis antecessoribus.